AUTHOR:

THALHEIM, THEODOR

TITLE:

ZU LYKURGOS UND LYSIAS

PLACE:

HIRSCHBERG

DATE:

1900

Master Negative #

91-80249-32

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Thalheim, Theodor, 1847-1921.
... Zu Lykurgos und Lysias. Hirschberg, Tageblatt-buchdruckerei, 1900.
17 p. 27 cm.


At head of title: Königliches gymnasium zu Hirschberg i Schl. ...
Preceding title: Gymnasialdirektor Theodor Thalheim.

Volume of pamphlets


Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x 2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/19 INITIALS BD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches
1.0
1.1
1.25
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0



Zu der

öffentlichen Prüfung

sämmtlicher Klassen des Elisabetanischen Gymnasiums,

welche

Montags und Dienstags, den 25. und 26. März, vollzogen werden soll,

und zur Anhörung

der

den 27. März zu haltenden Reden

ladet

die Beschützer, Gönner und Freunde des Gymnasiums und des Schulwesens

ehrerbietigst ein

Dr. Samuel Gottfried Reiche,

Rector und Professor des Gymnasiums, Ritter des rothen Adlerordens dritter Klasse m. d. S.

Inhalt:

Breslau, 1844.

Gedruckt bei Grass, Barth & Comp.

Quum in ea prolusione quam ego ante hos novem annos ad examen publicum indicendum ederem, nec minus in altera, quae duobus annis post priorem exciperet, ad penitus cognoscendam materiam quam mihi proposueram, saepius mihi adeunda esset editio Guilielmi Arminii Blumii, qua ille vir doctus suis de Lycurgo oratore meritis illud addidit ut, praeeunte Buttmanno ad Demosthenis Midianam, inquireret in formas *αὐτοῦ* et *αὑτοῦ* (Excurs. III), fieri non potuit quin diutius commorarer in considerandis iis locis, quibus ille Buttmanni praecepta aut juvare aut refellere studet. Quo in labore non solum illa diligenter inspicienda erant quae viderentur ad consilium meum pertinere, sed tota Lycurgi oratio, ut accuratius cognoscerentur nexus sententiarum, iterum atque iterum fuit perlegenda. Laborat autem, id quod omnibus notum est, hoc opus Lycurgeum, etiam post tot virorum doctorum curas, tot tantisque difficultatibus, ut, in tanta praesertim virorum doctorum de singulis locis discrepantia, non raro suis cuique in removendis impedimentis utendum sit viribus, neque omnino operam suam perdidisse videatur is, cui in uno alterove loco afferre aliquid contigerit unde restitui et resanari possit orationis illius integritas. Quare si nunc, occasione scribendi rursus data, id mihi sumo, ut ejus oratoris publice quaedam proponam, in quibus mea a virorum doctorum discrepat sententia, facile id mihi concessum iri confido, modo ne ita a me factum esse videatur ut vel levitatis in inquirendo vel arrogantiae in disputando merito coarguar.

Lycurgus igitur tertio orationis capite ut ostenderet, litem eam quam esset contestatus cum Leocrate propterea maximi esse momenti quod et

pertineret ad ipsam rempublicam et ad omnium aetatum et temporum memoriam stabile relictura esset judicium, ita pergit: *οὕτω γάρ ἐστι δεινὸν τὸ γεγενημένον ἀδίκημα καὶ τηλικοῦτον ἔχει τὸ μέγεθος, ὥστε μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι τιμωρίαν ἀξίαν τῶν ἁμαρτημάτων.* Quotquot post Taylorum, qui hunc locum intactum reliquit, operam suam impenderunt viri docti explicandae Lycurgi orationi, omnes fere haeserunt in sententia non unam ob causam ab ipsis reprobata. Et primus quidem Jac. Reiskius haec annotavit: „videtur h. l. ita legendum esse: *τῷ* (id est *διὰ τὸ*) *μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι τιμωρίαν ἀξίαν τούτου μόνου ἁπάντων τῶν ἀδικημάτων.*“ Ut taceam de mutationis violentia, quae patet quum ex pluribus vocibus in sententiam intrusis tum ex mutatis iis quae exstant, illud quod Reiskius excogitavit ne propter perspicuitatem quidem satis se commendat. Atque hoc ipsum videtur in causa fuisse, cur is, qui proxime post illum judicium de hoc loco dedit, Fr. A. Wolfius, ut solet esse brevior in rebus ipsi quidem satis perspectis, nulla omnino Reiskianae emendationis refutatione addita, denuntiaret, quod ille conjecturis correxisset, id se simpliciter una litura corrigendum ducere. Relegat enim (ad Leptin. p. 345.) et hunc et alios quosdam Lycurgi locos ad eiusmodi pannos, quos male sedulae manus assuerint oratori. Osannus denique, qui emendationis Reiskianae ratione non habita, Wolfii judicio, si in aliis, in hac certe re se haud assentiri fatetur, nihil tamen addit, neque quare assensionem illi suam negaverit, neque quomodo interpretandus sit locus impugnatus a duobus viris maximae sane in his rebus auctoritatis.

Longe diversa ratione Pinzgerus rem expedire studet, ita tamen ut quod in Wolfio minus probat remedium, ad idem ipse confugiat et lituram commendet eam, quae aequabilem fere verborum numerum e contextu removeat. Improbans enim ea quae neque in Reiskii neque in Wolfii suspicionem inciderant, verba *μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν* non plane delevit, uncis tamen inclusit, et in interpretatione addita omnino omisit. Tantum autem abest ut haec ejus interpretatio aut commodiorem

praebeat sensum aut loci perspicuitatem adjuvet, ut novas easque majores tenebras ei videatur obducere. Quum enim graeca sic nostro sermone reddit Pinzgerus „denn so schrecklich ist der begangene Frevel, und er hat eine solche Grösse, dass *nicht einmal in den Gesetzen* eine den Vergehungen angemessene Strafe bestimmt ist“, ita afficitur legentis animus ut existimet eos, qui leges posuerint animo quidem concipere et cogitare potuisse ejusmodi facinora, constituere autem poenas illos ausos non esse ob sceleris magnitudinem. Quid enim aliud sibi volunt ista „nicht einmal in den Gesetzen“? Quum enim additum non sit quod infra apud oratorem ipsum legimus, legum auctores existimasse neminem tale quid ausurum esse, illud „nicht einmal in den Gesetzen“ quid sit vix intelligitur. — Sed alterum quiddam obstat quo minus probemus Pinzgeri interpretationem. Quamquam enim concedendum est *μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις* significare *ne in legibus quidem*, huic significationi locum hic esse nego, propterea quod *οὐδέ* et *μηδέ* particulae, cum iis verbis quibus junguntur, nisi sententia negativa praecedit, sicut Latinorum *ne quidem*, proprie sunt altera pars alicujus sententiae, cujus prior pars reticetur; ut quum dicimus, *οὐδὲ τοῦτο πεποίηκε ne hoc quidem fecit,* alterum quiddam simul mente cogitandum est, quod huic de quo sermo est, erat faciendum. Eadem ratione *οὐδὲ σιγᾶν ἠδύνατο* non id solum significat, *aliquem tacere non potuisse*, sed potius, *ne tacere quidem poterat quum etiam occultandum illi fuisset.* Refertur enim hoc genus dicendi ad aliquod mente cogitatum tantum, neque tamen verbis pronuntiatum. Iam hisce cum Pinzgeri interpretatione comparatis „nicht einmal in den Gesetzen“ quaerendum est de altera sententiae parte, quam mente reservari diximus, et interrogandum, quonam alio loco constituenda esset poena in Leocratis scelera nisi in legibus? Sed hic Pinzgeri error inde videtur ortus esse, quod conjunctionem disjunctivam *μηδέ*, quae quamquam proxime jungenda est cum infinitivo *ὡρίσθαι*, ad totam tamen haud dubie sententiam pertinet, in cujus initio est posita, ille ad verba *ἐν τοῖς νόμοις* referri maluerit. Unde factum est ut haec ipsa verba nimiam con-

traxerint vim itaque supra modum aucta eam, quam reperisse nobis videmur in illa interpretatione, sententiae offuderint caliginem. Sin autem, hisce praetermissis, quaerimus quibus commotus argumentis reprobaverit atque rejecerit Pinzgerus sententiam nemini ante ipsum suspectam, propterea id factum esse videmus, quod mox infra (commate 4. extr. edit. Baiteri) eadem verba inde a μηδέ usque ad ἀξίαν repetita legerentur. De hujus alterius loci integritate Pinzgerus omnino non ambigens ita rem expedit ut ex altero loco verba illa in priorem irrepsisse, iisque superiore loco deletis omnem difficultatem remotam esse dicat. („Streicht man diese Worte, die leicht aus jener Stelle hierher kommen konnten, so ist Alles in Ordnung.") Atque de sensu et de perspicuitate quam Pinzgerus sibi videtur remedio suo sententiae attulisse jam supra diximus. Quod vero censet facillime fieri potuisse, ut verba a se impugnata ex loco inferiore ad priora illa transmigrarint, et quod Im. Bekkerum sibi vindicat auctorem et socium argumentationis suae, de hujus quidem viri consortio nemini persuadebit qui, ad manus sumta Bekkeri editione invenerit hunc uncis inclusisse *utrumque* locum; quo reprobationis signo ille manifesto videtur demonstrasse, sibi eandem cum Pinzgero persuasionem de alterius loci integritate non fuisse. Praeterea illud quoque vel maxime patet, Bekkerum, quum utrumque locum expelleret, de ejusmodi trajectione, qualem excogitavit Pinzgerus, ne cogitasse quidem.

Sed jam in causas, quibus transmutatio illa fieri potuerit, quemque in modum facta fuerit, accuratius inquiramus. Nam quum verborum trajectio sumitur, alterutrum accidisse necesse est, ut scilicet aut casu facta sit, aut consilio. Jam si casu, id quod Pinzgerus videtur cogitasse, quum dixerit facili opera factam esse, socordiae discribentis tribuendum est quod incitavit critici acumen. At profecto admirabilis casus, et mirifica socordia quae sola oculorum aberratione eum sensum effecerit, qui ut taceam Reiskium, ne illi quidem viro ullam vitii suspicionem moverit, cuius acumen semper

ad intima quaeque penetrare soleret, quique in eo ipso loco falsi aliquid sibi videretur reperisse, F. A. Wolfio. Accedit quod in tanta tot in rebus codicum discrepantia ne minimum quidem ejusmodi trajectionis hoc in loco prodatur vestigium. Omnes autem Lycurgi codices ex uno eodemque fonte fluxisse nemo sane profiteri audeat.

Rursus in consideranda altera via, qua, quod arbitratur Pinzgerus, factum esse conjici liceat, ut scilicet hoc consilio et de industria dicatur esse commissum, sane ingenii paupertas ne dicam stoliditas ejus, qui tale quid ausus existimetur, nimis manifesto se prodit, quam ut a quoquam vel minime erudito, admitti potuerit. Quemcunque enim librariorum invadit libido intrudendi aliquid, eum potius novi aliquid excogitaturum esse consentaneum est, quam ex iis quae exstant, et quidem ex proximis quibuslibet electurum ea quae ob eam rem ipsam suspicionem subditicii et adulterini additamenti prae se ferant. Profecto si quid falsi hic ejiciendum est, praestat acquiescere in Wolfii judicio. Hic enim, quum verba inde a μηδέ usque ad τῶν ἁμαρτημάτων ut pannum denotaret, multo illam probabiliorem quam Pinzgerus suspicionem injecit et quo modo et qua de causa additamentum illud factum esse conjiciamus. Atque haec quidem de hujus viri docti argumentatione, quae ex posterioribus editoribus praeter Blumium defensorem habet neminem, complures tamen praeter Osannum nacta est adversarios. Quorum primum proferri placet eum, qui de Pinzgeri libro judicavit in ephemerid. litt. Lipss. 1827. Nr. 41. qui tamen non contradicit tantum, sed argumentis rem exponere studet. Cujus verba haec sunt: „wir urtheilen über dieselben (i. e. de verbis a Pinzgero uncis inclusis) gerade entgegengesetzt, indem wir sie an der ersten Stelle behalten, an der zweiten aber tilgen möchten. Denn hier stehen sie, wenn man sie recht streng auffasst, mit dem unmittelbar Vorhergehenden in offenbarem Widerspruche, während sie an der ersten Stelle durchaus keinen Anstoss geben, wenn man nur die Worte τιμωρίαν ἀξίαν τῶν ἁμαρτημάτων als unnützes Glossem auslöscht. Der Sinn ist: der geschehene Frevel ist so schrecklich und

von solcher Grösse, dass weder Anklage noch Strafe angemessen aufgefunden werden kann, und auch selbst in den Gesetzen nichts darüber bestimmt ist." Haec verborum μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι explanatio, etsi per se est perspicua neque iis implicata difficultatibus quibus Pinzgeri laborat interpretatio, quum non ad poenam tantum sed ad scelus ipsum a Leocrate perpetratum spectet (pronomen enim *darüber* referendum est ad *der begangene Frevel*) tribus de causis satisfacere nequit; quarum prima est, quod non aliter nisi quatuor reliquorum verborum litura efficitur, quae et defendi possunt et quibus, si penitus volumus intrare in sensum scriptoris, vix carere possumus. Sed de hac re postea plura dicentur. Altera est causa quod vix convenit neque cum ipsa rei natura neque cum prudentissimis Atheniensium legibus publice profiteri, scelus aliquod tantum esse ut leges de illo nihil constituant. Aliud enim est profiteri ἐν τοῖς νόμοις οὐχ ὡρίσθαι τιμωρίαν ἀξίαν, aliud quatuor illis verbis deletis eum sensum efficere ut in legibus omnino nihil inveniatur quo possit puniri scelus Leocratis („der begangene Frevel ist so schrecklich — — dass auch selbst in den Gesetzen nichts darüber bestimmt ist"). Secundum eam lectionem quam exhibent codices poena sane constituta erat, sed ea poena quae non responderet facinoribus Leocratis. Videtur igitur censoris Lipsiensis emendatio arguere leges Atheniensium aut negligentiae aut inopiae, ut quae omnino nihil pronuntiaverint de puniendis proditoribus patriae. Nam verba „es kommt nichts darüber vor" omnem omnino poenam excludunt. Caeterum ne videar hoc argumento argutius disputasse quam verius, neve mihi objiciatur quod exstat apud Ciceronem pro S. Rosc. Amerino XXV. de Solone, quo loco quum videmus sui temporis homines ex illo legislatore quaerentes, cur nullum supplicium constituisset in eum qui parentem necasset, non audimus Solonem respondentem, nimium id facinus esse quam ut leges possint de illo constituere, sed potius, se id neminem facturum putasse. Hoc responsum si habet excusationem in moribus Solonis, non item leges excusari possent Atheniensium si de proditoribus patriae omnino nihil con-

stituissent. Non injuria igitur contra censorem Lipsiensem contendere audeo, tale quid non potuisse dici a Lycurgo, quale et litura et explicatione sua e verbis oratoris eruere voluerit. Jam vero tertia causa cur non possim concedere in censoris Lips. sententiam in eo posita est, quod in illa emendatione desideratur verborum apta et quasi rotunda constructio. Si enim legimus οὕτω γάρ ἐστι δεινὸν τὸ γεγενημένον ἀδίκημα καὶ τηλικοῦτον ἔχει τὸ μέγεθος, ὥςτε μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι, mutili aliquid mihi videor deprehendere in novissimis verbis, quum altera sententia quae annectitur particula μηδέ careat subjecto. Deest enim aut μηδέν aut simile quiddam. Repetere autem ex iis quae antecedunt aut κατηγορίαν aut τιμωρίαν ἀξίαν neque natura conjunctionis μηδέ permittit neque ipsa quae ab illo viro docto proposita est interpretatio, in qua pronomen *darüber* nisi omnia me fallunt, spectat ad τὸ γεγενημένον ἀδίκημα.

Sed jam videndum est quid proposuerit Sauppius in libro qui inscribitur *reliquiae Lycurgi oratoris Attici.* Et hic quidem pag. 93 Wolfii arbitrio, cui solus Heinrichius adstipulatur, repugnans statuit comma octavum nonnisi levi macula affectum in integritatem vindicari posse si scribatur ὥστε μήτε κατηγορίαν (μήτε τιμωρίαν) ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι τιμωρίαν ἀξίαν τῶν ἁμαρτημάτων. Delenda igitur censet verba seclusa, quae sententia quum ipsa per sese habeat quo se commendet, gravissimum etiam nacta est sponsorem G. Hermannum (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1835. Nr. 74.). Nihilominus contra ejus ipsius viri arbitrium faciendum mihi erit, cuius in ejusmodi rebus judicium instar legis esse et solet et potest. Tollitur enim illa emendatione aequabilitas sermonis duplici modo. Primum enim voci μήτε deest membrum id quod priori pariter respondeat; deinde particula μηδέ orbatur propria sua vi quae est in augendo membro posteriore; destituta denique est haec emendatio a codicum auctoritate, quorum lectionem defendi posse infra docebimus.

Contra Sauppium et G. Hermannum Halmius in hunc modum disputat. (Gelehrte Anzeigen der Bayer. Akademie der Wissenschaften 1836 Nr. 79.)

„Die einzige Art, diese Stelle zu verbessern, möchte vielleicht die seyn, dass man bloss das zweite *τιμωρίαν* streicht; diese Verbesserung ist auf jeden Fall leichter und sinngemässer, als der von Herrn Sauppe gemachte und auch vom Herrn Professor Hermann gebilligte Vorschlag." Ex iis quae contra Maetzneri defensionem codicum monuit Halmius l. l. patet, ipsum inprimis aegre ferre iterationem verborum *τιμωρίαν ἀξίαν*. Quam quum devitaverit Sauppius quoque emendatione sua, equidem non satis intelligo cur acquiescere non placuerit Halmio in correctura a Sauppio proposita. Accedit quod Halmius emendatione sua specie magis quam re vera illud videtur esse consecutus in quod nititur. Eandem enim quam devitare voluit, manere videmus molestam repetitionem, cum fieri nequeat quin adjectivum *ἀξίαν* revocet in mentem lectoris vocem *τιμωρίαν*. Sed meum non est latius inquirere in omnia omnium virorum doctorum argumenta quibus commoti hoc vel illud aut probaverint aut rejecerint, praesertim cum illa saepius non nisi divinatione quadam assequi liceat. Tantum dico ne Maetzneri quidem defensionem codicum illos potuisse a virorum doctorum dubitatione vindicare. Quum enim contendit, *„duas res easque longe sejunctas oratorem his verbis judicare, non excogitari posse accusationem et poenam his delictis dignam, neque legibus definitam esse poenam dignam pro factis ejus"* objicit haec Halmius „diess sah wohl jeder ein, der in dem letzten Satze einen Fehler vermuthete; damit aber ist nicht im Geringsten gezeigt, wie sich die lästige Wiederholung der Worte *τιμωρίαν ἀξίαν* rechtfertigen lasse". Mihi contra Maetzneri explicatio propterea respondere codicum verbis non videtur, quod nimium aliquid inferat in sententiam, qui dicat inesse: *excogitari non posse neque accusationem neque poenam his delictis dignam*. Excogitari quidem possunt vel maxima, neque sane oratori, quum excogitanda ei esset vel componenda accusatio apta sceleribus Lycurgi, de arte sua fuisset desperandum. Deinde, si haec accusatio omnino ex ipsius libero arbitrio, non e certa quadam lege pependisset, et si orator dicere voluisset, non posse excogitari quod opus

esset in hac re gravissima, non potuisset sane admonere quod sequitur (commate 5.) *διὸ καὶ μάλιστα, ὦ ἄνδρες, δεῖ ὑμᾶς γενέσθαι μὴ μόνον τοῦ νῦν ἀδικήματος δικαστὰς ἀλλὰ καὶ νομοθέτας.* In his enim provocat judices disertis verbis ad excogitandam poenam tantis delictis convenientem; patet igitur ipsum Lycurgum judicibus illam mentis aciem (hanc enim vim verbo *εὑρεῖν* inesse Maetznerus vult) concessisse. Quum autem judicibus, quanto id magis sibi ipsi concesserit?

Sed haec hactenus. Jam ad rem ipsam propius accedendum est ut efferam quid ipse sentiam de loco non unam ob causam difficili, si prius dixero unde tanta virorum doctissimorum dissensio originem cepisse videatur. Mihi enim totius rei cardo in hoc verti videtur, quod, cum in prima sententiae parte locutus sit orator de *τιμωρίᾳ ἀξίᾳ*, idem in altera quoque parte fecisse judicatus est, ita quidem ut Wolfio non solum verba sed etiam sententiam ipsam visus sit repetere. Reprobata quidem est Wolfii suspicio a posterioribus editoribus; sed quum sibi viderentur discriminis aliquid deprehendisse inter verba *μήτε ἐνδέχεσθαι κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἀξίαν* et *μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι τιμωρίαν ἀξίαν τῶν ἁμαρτημάτων*, aegre tamen ferebant locum qui non tam sensu, quam concinna verborum structura careret; concinnitas enim rejicit omne supervacaneum. Hinc factum est ut censor Lipsiensis editionis Pinzgerianae suaderet delere quatuor verba, latere enim in illis glossema inutile; hinc fluxerunt Sauppii et Halmii emendationes, hinc denique Pinzgeri conatum de quo supra latius diximus.

Verum hic non unicus est difficultatum fons. Altera est causa unde profectae sint tantae perturbationes, neque ea magis in verbis ipsis posita est quam in virorum doctorum opinionibus. Quorum plerique, quibus non solum emendationes placuit proponere, sed earum etiam rationes reddere locique sensum uberius enarrare, in hunc modum rem absolvunt ut verba *ὥστε μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν* sensu latiore de inventione oratoria dicta esse censeant. Inde factum est ut alteram totius sententiae partem h. e. verba *μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι κτε.* intelligi opor-

tere existimarent de illis legibus, in quibus ageretur de iis delictis quae perpetrasset Leocrates, de desertione patriae, de contemtu sacrorum patriorum, de tumulis majorum derelictis, de universae urbis proditione. Quum autem ita intelligerent, in hunc non audeo dicere errorem, sed in hanc necessitatem adducti sunt, ut vel inviti aut negligerent vim conjunctionis *μηδέ* unde sententiae pars altera incipit, aut certe ita explicarent locum, ut conjunctio *μηδέ* applicaretur ad verba *ἐν τοῖς νόμοις*. Verum in hoc ipso errasse illos infra demonstrare conabimur.

Jam vero accuratius inquirendum est in illud quod supra dixi, interpretes verba *ὥστε μήτε — εὑρεῖν ἀξίαν* sensu latiore intellexisse de inventione oratoria. Qua in re quum concedendum sit, esse oratoris instruere accusationem atque omnia perspicue disponere et dilucide adornare ut sequatur audientium approbatio, tamen in orationibus quae in judiciis haberentur hoc aliter fieri nequibat nisi ratione habita legis alicujus, quae esset fundamentum totius actionis. Quicunque enim accusat, hoc facit non alia de causa nisi quod legem quandam adjutricem se habere confidit. Qua lege si caret orator destitutus ab re esse videtur, quum non habeat ad quod referat accusationem*). Omnis autem lex duas habet partes quarum prior continetur definitione culpae, altera autem poena culpae adjudicata. Jam si omnis accusatio habet originem et causam in lege quadam, sequitur ut ita sit comparata ut quam accuratissime respondeat definitioni culpae quae illa lege continetur. Quod si mihi fuerit concessum, *κατηγορίαν* quoque non omnino pendere ex animo vel voluntate oratoris necesse est, sed habere illam certam descriptionem suam in legis priore parte, ut neque libidini neque ingenio oratoris ultra evagari liceat. Quare ex meo quidem judicio illud Lycurgi *εὑρεῖν κατηγορίαν* non poterit intelligi *excogitare accusationem*, sed *invenire accus.*; indicat enim verbum hoc *quaerere et investigare aliquid*

*) Meier und Schömann, *der attische Prozess*, p. 170. „Jede actio hat ihren Ursprung in einem Gesetze.“

quod in lege ipsa jam exstet. Non igitur significat, ut nostro sermone utar, eine Klage ersinnen, sed eine Klage unter ein bereits vorhandenes Gesetz stellen, sie diesem Gesetz gemäss abfassen. Eadem autem lege simul circumscripta erat poena, neque magis licebat oratori e suo arbitrio proponere quamlibet poenam. Habebat igitur certam quandam regulam poena ab oratore proposita (der Strafantrag) in altera parte ejus legis ad quam applicata erat accusatio*), nec poterat excogitari ab accusatore *τιμωρία* ejusmodi quae regulam illam lege datam omnino non respiceret; modus enim erat praescriptus et mensura quaedam quam accusatori in poenis adjudicandis egredi non liceret. Exposita autem a me ratione ea quae intercederet inter legem ipsam et accusationem et poenam, non dico omnes ad unum editores inde a Tayloro usque ad Maetznerum rationem illam non respexisse neque in verbis *μήτε κατηγορίαν ἐνδέχεσθαι μήτε τιμωρίαν εὑρεῖν ἀξίαν* quidquam vidisse nisi ea quae proficiscerentur ab oratoris arbitrio. Sed quum plerique eorum aperte non manifestaverint quid de sensu totius loci judicarent, ii certe mihi sunt eligendi quibuscum disputem, quorum vel enarratio vel interpretatio manifesto prodat illud quod mihi in hac re modo dixeram videri reprehendendum. Atque hi quidem tres sunt, quorum est primus censor editionis Lycurgi Blumianae. (Ergänzungsblätter zur Jenaischen Literatur-Zeitung 1830. Nr. 10. 11.) Qui cum contra Blumium defendat auctoritatem codicum, et ob eam ipsam causam meam sententiam adjuvare

*) Exposita est uberius haec res in libro jam laudato, *der attische Prozess* etc. pag. 176. „Eine solche frühere Bestimmung über Strafe und Busse war auf dreifache Weise möglich: zunächst wenn durch Gesetze schlechthin verordnet war, wie solche Rechtsverletzungen in allen Fällen geahndet werden sollten — — —. Zum andern, wenn in gewissen öffentlichen Sachen für einen einzelnen Fall durch ein besonderes Psephisma des souverainen Volks festgesetzt war, wie der Angeklagte, wenn er vom Gerichtshofe für schuldig befunden werden würde, zu bestrafen sey“. Tertius modus fuit rerum privatarum, quare is hujus loci non est. Pag. 177 seq. „Bei den schätzbaren Klagen ging der Hauptantrag vom Kläger aus, der gleich in der Klageschrift dem Beklagten, wenn er verurtheilt werden würde, ein Timema setzte“.

videatur, tamen hoc ita fecit ut eliceret e verbis scriptoris eum sensum quem inde erui nullo modo licet. Interpretatur enim „denn der begangene Frevel ist von so grosser Bedeutung, dass es für den Ankläger nicht möglich ist, eine entsprechende Anklage oder Strafe *zu ersinnen.*“ Atque eundem sensum praebet Maetzneri explanatio, quae quibus de causis reprobanda mihi videretur supra demonstravi. Utcunque est, hoc certum est utrumque interpretem non cogitasse de certa quadam lege cui applicanda fuisset oratoris accusatio. Neque ipse ille censor Lipsiensis, etsi cautius interpretatur, voces *κατηγορίαν* et *τιμωρίαν* ad legem aliquam jam constitutam retulisse videtur. Sed de verbis *εὑρεῖν κατηγορίαν* cett. minus probabiliter explicatis satis dictum est. Quod vero interpretes, ut paulo ante diximus, quum sensu latiore accepissent Lycurgi verba *ὥςτε μήτε κατηγορίαν κτε.* de inventione oratoria, in hanc adducti sunt necessitatem, ut videretur ipsis orator in altera parte sententiae locutus esse de iis legibus in quas Leocrates deliquisset, eo illis magis consentaneum hoc esse videri poterat, quod exstant in sententia verba *ἐν τοῖς νόμοις.* Existimabant enim, quoniam orator in iis quae praecederent locutus esset de accusatione et de poena, opus esse ejusmodi additamento in quo de legibus esset sermo, ne claudicaret sententia aliqua parte, sed absoluta prodiret atque rotunda. Unde originem cepit duplex error, qui conspicitur primum in neglecta vi conjunctionis *μηδέ,* quam redditam videmus, uno excepto censore Lipsiensi, latina voce *neque,* propterea scilicet, quod hanc posteriorem enuntiationis partem cum priore ita conjungendam esse censerent, ut maneret sermonis aequabilitas. Deinde conjunxerunt interpretes *μηδέ* cum verbis *ἐν τοῖς νόμοις,* quum applicanda esset haec conjunctio ad verba *ὡρίσθαι κατηγορίαν αξίαν τῶν ἁμαρτημάτων.* Sin autem *μηδέ* interpretatus fueris *neque*, obscuratur illa vis et amplificatio sermonis quam Lycurgus manifestavit eo quod *μήτε — μήτε* excipi voluit a posteriore *μηδέ;* rursus si *μηδέ* conjunxeris cum verbis *ἐν τοῖς νόμοις,* horum verborum vis male augetur. Cujus duplicis erroris documenta exstant in ipsis virorum doctorum interpretationibus. Reddidit enim Melan-

tho „tantum est scelus Leocratis ut nulla . . . ., *nec* in legibus proposita sit (poena scil.); et Taylorus:“ adeo enim dirum est patratum facinus ut neque . . . ., *neque* legibus definita sit ultio sceleribus respondens“; censor autem editionis Blumianae (l. l.) „*und dass sich* in den Gesetzen für so viele Vergehungen auf ein Mal *gar keine Strafe bestimmt findet*“; Maetznerus denique, „*neque* legibus definitam esse poenam pro factis ejus dignam“. Postremo censor Lipsiensis quum multo accuratius interpretatus sit (l. l.) „dass weder . . . . *und auch selbst in den Gesetzen* nichts darüber bestimmt ist“, tamen in alterum errorem incidit, ut scilicet particula *μηδέ* conjuncta cum verbis *ἐν τοῖς νόμοις* horum verborum vim nimis augeret. Est enim *μηδέ,* ut supra jam dixi, applicandum ad verba *ὡρίσθαι τιμωρίαν ἀξίαν.* Neque enim opposita inter se sunt ab altera parte *κατηγορία* et *τιμωρία,* ab altera autem *ἐν τοῖς νόμοις,* sed potius *ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν* et *ὡρίσθαι τιμωρίαν αξίαν;* quorum quidem additamentum est *ἐν τοῖς νόμοις.* Itaque soni vis principalis manebit in verbo *ὡρίσθαι;* in verba *ἐν τοῖς νόμοις* non cadit nisi secundaria. Porro quum, ut supra mihi demonstrasse visus sum, in verbis *κατηγορίαν* et *τιμωρίαν* insit notio illarum legum, quibus de ejusmodi agebatur facinoribus quae commisisset Leocrates, consentaneum est alterius partis ejus enuntiationis verba *ἐν τοῖς νόμοις* pertinere ad aliam quandam rem eamque novam, cujus quidem nondum orator mentionem fecerat. Ac profecto ita res habere se videtur. Hoc enim vult dicere Lycurgus in altera parte enuntiationis: tantum est facinus commissum — — — ut sumtis vel durissimis de Leocrate poenis quae legibus Atheniensium constitutae sunt in turpissima quaeque scelera, harum nulla possit illius scelera aequare; der verübte Frevel ist so schrecklich, dass (nach den über Vaterlandsverrath etc. aufgestellten Gesetzen) es weder möglich ist, eine sachgemässe Anklage, noch einen dergleichen Strafantrag zu ermitteln, dass aber auch überhaupt keine den Verbrechen des Leokrates gemässe Strafe in den Gesetzen aufgestellt ist.

Utrum sperare mihi liceat non amplius conquesturos esse lectores de iteratione molesta verborum *τιμωρίαν ἀξίαν* meum non est judicare; illud tamen mihi concessum iri confido, non esse iterationem molestam quum vox quaedam in eadem sententia repetita legitur ubi ista voce vix carere possimus. Repetenda autem fuerunt oratori verba *τιμωρία ἀξία* ut quae primum conjuncta cum voce *κατηγορία* earum legum mentionem facerent in quibus ageretur de sceleribus similibus eorum, quorum accusatus erat Leocrates, iterum posita ad *universum* legum Atticarum *corpus* respicerent, cujus notio continetur verbis *ἐν τοῖς νόμοις*.

Sed video non deesse qui, quod in aliis viris doctis reprehenderim, in me quoque vituperaturi sint. Non enim verba graeca sic intelligi dicent licere „*ut omnino nulla poena quae sceleribus respondeat constituta sit.*“ Videtur autem haec interpretatio defendi ipsa notione conjunctionis *μηδέ;* in qua particula vel adversandi vel augendi inest significatio, quaeque, quum ei addita sint verba *ἐν τοῖς νόμοις*, in quibus articulus non sine vi sua positus esse potest cogitari, novum et majus quiddam ita indicat, ut eam amplificationem, quam ego latina voce *omnino* reddidi, res ipsa non solum pati videatur sed etiam efflagitare. Quod vero in verbis *ἐν τοῖς νόμοις* universum legum corpus indicari statui, hanc rem non exigue adjuvari videbit qui ea mecum animo perpenderit quae mox in oratione ipsa sequuntur. Illa enim *τὸ μὲν γὰρ μέγιστον καὶ ἔσχατον τῶν τιμημάτων, θάνατος, ἀναγκαῖον μὲν ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμιον, ἔλαττον δὲ τῶν Λεωκράτους ἀδικημάτων καθέστηκε*, vix aliter ab oratore dici poterant quam hoc sensu: gravissimam et durissimam poenam, *quae posset inveniri in universis legibus Atheniensium mortem quidem esse*, tamen illam facinoribus Leocratis parem censeri non posse.

Alius Lycurgeae orationis nodus, in quo solvendo ingenii exercendi opportunitas interpretibus oblata est, sedet in eodem capitis tertii commate. Perfectum enim illud infinitum *γεγενῆσθαι* post verba *ἐπίδοξον εἶναι* in eadem sententia iterum positum nemini non visum est intolerandum, propterea quod illa vox, quae videretur aptissima iis quae paulo ante praecesserunt, non

posset conjungi cum rebus futuris, de quibus cogitasse Lycurgus existimandus esset, cum diceret *ἐν τοῖς μέλλουσι*, scil. *χρόνοις*. Sed ut totum hoc penitus perspiciatur, ex ipsa sententia accuratius cognoscendum est quid agatur. Quum enim orator causas vellet indicare cur legibus civitatis suae poena non esset constituta in tanta Leocratis facinora, hoc ipsum evenisse dicit *διὰ τὸ μὴ ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν μήτε ἐν τοῖς μέλλουσι ἐπίδοξον εἶναι γεγενῆσθαι.* Omnibus autem qui ad hunc locum interpretandum aggressi sunt, ex ipsa sententia apparere visum est deserendos esse libros mscptos, quamvis omnes ad unum eandem scripturam tuerentur; adeoque omnes editores in repudianda voce *γεγενῆσθαι* consentiunt ut vel hanc vel illam emendationem propositam in ejus locum reponere non dubitaverint. Quo factum est ut hodie aut *γενήσεσθαι* aut *γενέσθαι* in omnibus fere libris editis legatur. Ut enim plerumque fieri solet in lectionibus quae ita sunt comparatae ut interpretando adjuvari posse non videantur, ita hic quoque variae exstiterunt emendationes, ut aut infinitivus futuri praeferendus videretur, cui Reiskius addidit particulam *ἄν*, aut magis placeret infinitivus aoristi, aut denique infinitivus praesentis. Quarum emendationum maxime accommodatam loci naturae Valckenarius ad Herodot. IX. 11. *γενήσεσθαι* commendando videtur protulisse; primum quod aequabilitas quaedam significationis quae est in participio *μέλλουσι* et in infinitivo futuri ita suadere videretur; deinde quod ista correctione minima vis inferretur codicum scripturae; tuetur enim parem cum lectione *γεγενῆσθαι* syllabarum numerum. Quamquam aliter visum est Lobeckio ad Phryn. p. 133, qui quum adjectivum *ἐπίδοξος* saepius vidisset conjunctum cum aoristo „*in significatione futuri*“ aoristum *γενέσθαι* Valckenarii praetulit emendationi suique argumenti sponsores nactus est Osannum, Im. Bekkerum, Pinzgerum. Neque tamen constitit interpretum cura in his duobus remediis, sed alia quaedam excogitata est via ad sanandum nostrum locum. Cujus rei Schaubius fuisse videtur auctor. Legitur enim in Osanni editione illum virum doctum Valckenarii emendationem approbare „*nisi quod infinitivum γενήσε-*

σθαι facile mente suppleri posse ideoque rectius fortasse deleri statuat". Sed vereor ne Schaubio quoque acciderit, quod ceteris omnibus accidisse videtur, ut in codicum lectione *γεγενῆσθαι*, quae mea sententia non solum non rejicienda, sed defendenda et approbanda erat, apertum vitium sibi reperisse existimarent. Horum omnium enim mens quum semel esset praeoccupata quod legerant *tale quid prioribus temporibus nunquam commissum esse*, nihil aliud exspectare potuerunt quam *neque tale quidquam posteris temporibus commissum iri*, praesertim cum plane esset scriptum *ἐν τοῖς μέλλουσι*. Accedit quod facili quodam et quasi naturali verborum fluxu aptissime sibi videntur respondere *ἐν τοῖς πρότερον μηδὲν τοιοῦτον γεγενῆσθαι*, et *ἐν τοῖς μέλλουσι (μηδὲν τοιοῦτον) γενήσεσθαι*. Verum longe aliter ista res sese habet. De hoc autem infra dicetur. Tantum dico vix concedi posse Schaubio illud quod nulla addita ratione facile fieri posse contendit. Nam quod contigit huic viro docto ut sui arbitrii Halmium (Gelehrte Anzeigen der Bayer. Akademie 1836. p. 653) haberet defensorem, qui reprobavit Maetznerum quod *„ab animo suo non potuerit impetrare ut cum Schaubio et Baitero verbum delendum atque cogitatione e praecedentibus supplendum esse statueret, cum hujus omissionis post v. ἐπίδοξος non exstarent exempla*", non magis ea re defensa esse videtur Schaubii sententia, quam iis quae ab Halmio ad refutandum Maetznerum ex Popponis commentario Thucydideo citantur. Bene enim perspecta Popponis ratione, per se quidem maxime approbanda, sequitur ut nostro loco supplendum fuerit ipsum illud *γεγενῆσθαι*. Hanc autem vocem hucusque nemo desideravit, immo omnes id agunt ut rejiciatur infinitivus perfecti*).

*) Quae citantur ab Halmio exstant in Comment. Popponis ad Thucyd. cap. I. § 1. 2. Ibi enim Poppo ad refutandum et Heilmannum, qui contendit participium praes. *διανοούμενον* pro aoristo *διανοηθέν* positum esse, et Matthiaeum Gramm. Gr. § 631. 4 *„locum anacoluthis mire adnumerantem*" in hunc modum disserit: *„Διανοούμενον* non positum est pro *διανοηθέν*, *post institutam deliberationem*, ut Heilmannus intellexit; nam ne reliqui quidem liberi socii, qui statim ab initio belli cum alterutris se conjunxerant, id inconsulto fecisse existimandi sunt. Sed plena oratio foret, *διανοούμενον ξυνίστασθαι πρὸς ἑκατέρους* *ὁρῶν*. Cf. Steph. qui „Infinitivum" inquit *„ξυνίστασθαι* post *διανοούμενον* non deesse, sed relictum esse subaudiendum, ostendunt alii huic similes loci. Ex quibus est iste p. 68. (c. 124) *ὥστε τῶν μὲν ἤδη ἄρχειν, τῶν δὲ διανοεῖσθαι*. Nam hic itidem infinitivum *ἄρχειν* subaudire necesse est. Atque observandum est eundem usum hic praestare adverbium *ἤδη*, quem illic praestat *εὐθύς*, quod ad participium *ξυνιστάμενον* fertur. At vero hoc ipsum adverbium *εὐθύς* simili loco adhibitum p. 337 (V. 80) *οὐ μέντοι εὐθύς γε ἀπέστη τῶν Ἀθηναίων, ἀλλὰ διενοεῖτο*· nam et hic post *διενοεῖτο* oportet *ὑπακούειν* infinitivum *ἀφίστασθαι* (immo potius *ἀποστῆναι*; semper enim in eadem forma manendum est;) ex illo *ἀπέστη* sumptum". Steph. Frustra obloquitur Acac. apud Huds., pristinis sociis Atticis minime integram consultationem, utros sequerentur, fuisse; quibus vero libera consultatio fuisset, paulo post alteri parti adhaesisse dicens. „Haec non videntur maximam vim habere ad refellendam sententiam Stephani, cum participio *διανοούμενον* jungendum esse infinitivum *ξυνίστασθαι* e praeced. *ξυνιστάμενον* repetendum. Nam si Graeci illi, qui sui juris et arbitrii erant, se deinde cum altera parte conjunxerunt, cur de his dici non possit *ὁρῶν τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν διανοούμενον συνίστασθαι*? Saepe etiam aliis locis hoc genus ellipseos apud Thuc. occurrit. Vid. ad VII. 69". Duk. Cf. Krueg. l. d. „Locum anacoluthis mire adnumerat Matth. Gr. § 631. 4." — Sed haec Popponis expositio, adjuta Stephani et Dukeri observationibus, numquid aliud probat nisi hoc, si supplendus sit infinitivus, eum semper vel in praecedentibus positum esse debere, vel si positus non sit, ut Thuc. V. 80. *οὐ μέντοι εὐθύς γε ἀπέστη τῶν Ἀθηναίων ἀλλὰ διενοεῖτο* — ejusdem temporis quod praecedat infinitivum posse suppleri — non autem, ex eo qui praecessit infinitivo praeteriti intelligi posse infinitivum futuri.

Sed transeo ad Baiterum ut videamus qua ratione usus sit ad restituendum locum, ut ipsi visus est, desperatum. Is pag. 93 libri ejus qui inscribitur *Lycurgi Oratoris reliquiae* neque Valckenarianae neque Lobeckianae emendationis ulla ratione habita vocem *„γεγενῆσθαι iisdem quis sequentia uncis includendam*" vidisse sibi visus est, et ne dubii simus quo id fecerit jure Halmium et G. Hermannum habemus sponsores. Atque ille quidem hac de ita refert l. l. „Herr Baiter hatte richtig das Wort als eine Glosse erkannt". Hermannus autem de Baiteri remedio ita judicat (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1835 Nr. 74.) „§ 9 hat Herr Sauppe wohl mit Recht nicht bloss die von Bekker eingeschlossenen Worte eingeklammert, sondern auch nach Herrn Baiters Bemerkung, die auch in der Griechischen Gesellschaft Herr Karl Friedrich Scheibe gemacht hat, das

ihnen vorhergehende, von Andern in γενέσθαι oder γενήσεσθαι verwandelte γεγενῆσθαι als Glosse erkannt.“ Quanquam verendum est ne et Halmius et G. Hermannus ex sua potius quam ex Baiteri sententia glossematis suspicionem protulerint. Si enim in codicibus scriptum esset γενήσεσθαι, fieri posset ut illorum glossematis opinio inveniret qui assentirentur. Quum autem scriptum sit γεγενῆσθαι, neque id solum in omnibus libris manu scriptis, sed etiam tam plane et perspicue ut ne minimum quidem mutatae scripturae vestigium reperiatur, magis consentaneum est depravatae scripturae causam quaerere in negligentia describentium, quam in glossatoris additamento, cujus quidem vel propterea nulla hic esse potest ratio, quod inter omnes criticos convenisse videtur, nostrum locum ex eadem ipsa voce γεγενῆσθαι corruptelam suam traxisse. Quodlibet enim glossema ita oportet esse comparatum ut conferat aliquid ad explicandum, non ad impediendum locum. Ergo si Baiterus loco suo depelli vult vocem γεγενῆσθαι, qualibet alia causa depellatur licet ab illo, modo id ita fiat ne glossematis suspicio locum habeat.

Sed audiamus Baiterum ipsum neque de glossemate neque omnino de origine vocis γεγενῆσθαι quidquam proferentem. „Scilicet futurum, inquit, infinitivi cogitatione supplendum, ut in his, Isocr. Panath. § 103. οὔτε πάσχοντες κακὸν οὐδὲν οὔτε μέλλοντες. Paneg. § 136. τὰ μὲν ἔχει, τὰ δὲ μέλλει. Helenae encom. § 26. τὰς μὲν ἐπόρθουν, τὰς δ᾽ ἤμελλον. Thucyd. III. 55. οὐδὲν ἐκπρεπέστερον ὑπὸ ἡμῶν οὔτε ἐπάθετε οὔτε ἐμελλήσατε. Demosth. Epist. 4. fin. φλαῦρον δὲ μηδὲν μηδέποτ᾽ — μήτε παθεῖν μήτε μελλῆσαι. Aristot. rhet. c. 12. ἢ ποιησάντων κακῶς ἢ μελλησάντων. Demosth. de cor. § 192. τὰ μὲν ἤμελλε τῶν δεινῶν, τὰ δ᾽ ἤδη παρῆν“. — Jam, perspectis singulis exemplis a Baitero in hunc finem collatis ut confirmaret suum de loci Lycurgei ratione judicium, patet hunc virum doctum hoc voluisse ut analogiae lege infinitivus futuri, qui solet cogitatione addi verbo μέλλειν, etiam in Lycurgi loco adderetur verbis ἐν τοῖς μέλλουσιν, atque ita Schaubii remedium grammatica ratione muniretur. Sed nonnulla esse videntur quae obstent. Quorum est primum quod, quicunque legerit futurum infinitivi supplendum esse,

statim videbit Baiterum, etiamsi invenerit morbi curationem, legentes tamen destituisse, si de natura atque de jure remedii quaeratur. In emendationibus enim Valckenarii et Lobeckii cum ipsis emendationibus data est ratio cur illis viris doctis videretur esse emendandum. Referunt enim depravatam scripturam ad negligentiam socordiamque describentis atque ea re suum muniunt inventum. Baiterus vero demonstrare supersedit qua ratione niteretur jus extrudendi infinitivi γεγενῆσθαι. Hoc igitur primum est quod in ipsius curatione desideramus. Sed alterum quiddam exstat quare minus sequi possimus remedium propositum. Ubi enim accuratius perpenderis illam regulam, quam sequitur usus loquendi in exemplis ab ipso Baitero collatis, perspicuum erit, neque analogiae legi ipsum satisfecisse, nec omnino ullam esse analogiam inter illa exempla et hunc nostrum locum. Omnes enim illi loci hanc constituere videntur legem, ut verbum μέλλειν semper prodeat in eadem forma, quam conspicimus in verbo praecedente ad quod se applicat, cuique debet respondere. Sic participium praesentis πάσχοντες excipitur participio praes. verbi μέλλειν, μέλλοντες enim legitur in loco Isocratis. In altero exemplo formam praesentis ἔχει sequitur alterum praesens μέλλει. Mox in tertio loco idem videmus observatum; respondet enim ἤμελλον praecedenti imperfecto ἐπόρθουν. Rursus in Thucydidis loco sibi respondent aoristi ἐπάθετε et ἐμελλήσατε, et apud Demosthenem infinitivus aoristi παθεῖν comitem habet infin. aor. μελλῆσαι; in Aristotelis porro loco citato vox μελλησάντων repetit formam praecedentis aoristi ποιησάντων, denique apud Demosth. de cor. vocem ἤμελλε praecedit imperfectum παρῆν. — Duae igitur conditiones in hoc genere dicendi necessariae esse videntur quorum prior est ut infinitivus futuri, qui in altera parte sententiae cogitatione supplendus est (in locc. citt. πείσεσθαι, ἕξειν, πορθήσειν, πείσεσθαι bis, ποιήσειν κακῶς, παρέσεσθαι) referat notionem ejus verbi, quod in priore parte enuntiationis praecessit. Altera est conditio ut verbum μέλλειν recipiat formam ejus ipsius et temporis et modi qui praecessit. Sic μέλλοντες praebet formam praecedentis verbi πάσχοντες, neque

in reliquis locis alia observata est lex. Quo concesso, si haec analogiae lex adhibenda fuit in Lycurgi loco, scribere necesse erat *διὰ τὸ μὴ γεγενῆσθαι μήτε* (desideratur autem in verbo *μέλλειν* forma praeteriti) — (*γενήσεσθαι*), aut *μήτε ἐν τοῖς γιγνομένοις μήτε ἐν τοῖς μέλλουσι* (*γενήσεσθαι*). Quod quum scriptum non sit, nequit comparari Lycurgi locus cum iis locis quos collegit Baiterus.

Sed ulterius progrediendum est et demonstrandum non posse concedi Baitero id quod postulat, ut ex verbis *ἐν τοῖς μέλλουσι* intelligamus futurum *γενήσεσθαι*. Quod quo magis perspiciatur, videamus, quam vim habeant voces *ἐν τοῖς μέλλουσι*, quoque munere fungantur in sententia Lycurgi. Sed ut accuratius hoc cognoscatur, dissolvatur locus necesse est atque in singulas suas digeratur partes. Quum autem omnes profiteantur interpretes vitiosam esse scripturam *γεγενῆσθαι*, ponamus Valckenarium rectum vidisse scribendumque esse *γενήσεσθαι*. Hanc enim infinitivi formam de qua jam agimus, Baiterus ipse approbat, etiamsi cogitatione supplendam esse dicat. Atque hoc quidem omnes mihi concessuros esse confido, si verba *διὰ τὸ μὴ ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν, μήτε ἐν τοῖς μέλλουσι ἐπίδοξον εἶναι γενήσεσθαι* in partes suas digesserimus, primam et simplicissimam loci formam futuram esse hanc: *οὐ γεγένηται τοιοῦτον οὐδὲν, οὔτε γενήσεται.* Quo facto simul hoc manifestum erit, verbum *γίγνεσθαι* utroque loco fungi munere praedicati. — Alterum quoddam ad rem judicandam continetur momentum in Lycurgi sententia, quod sese nobis offert in verbis *ἐπίδοξον εἶναι.* Quae si juncta fuerint cum illis prioribus, ita tamen ut simplicior illa quam supra constituimus sententiae forma conservetur, habebimus haec: *οὐ γεγένηται τοιοῦτον οὐδὲν, οὔτε ἐπίδοξόν ἐστι γενήσεσθαι.* — Jam illud restat ut inquiramus in tertium rei momentum quod inest in Lycurgi loco. Et hoc quidem conspicitur in verbis *ἐν τοῖς πρότερον χρόνος* et *ἐν τοῖς μέλλουσιν.* Haec autem verba nihil continent nisi temporis notionem additam ad accuratius definiendas voces *γεγένηται* et *γενήσεται*, quarum vocum vim et notionem si comparaverimus cum illis momentis duobus, de quibus modo diximus, aperte multo

illis levior esse videbitur. Quum enim cujuslibet sententiae vis principalis in subjecto et in praedicato, ut ajunt, posita sit, reliquis ejusdem sententiae partibus non alia vis tribui potest nisi secundaria. In ipso nostro loco autem temporis notio ita necessaria non est ut ea omnino non possimus carere. Manebit enim, si in universum rem consideraveris, idem fere sententiae cursus, etiamsi sumseris Lycurgum scripsisse *διὰ τὸ μὴ γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν, μήτε ἐπίδοξον εἶναι γενήσεσθαι.* Infinitivus enim perfecti per se notionem rerum praeteritarum, infinitivus futuri contra futurarum continet. Quum igitur verba *ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις* et *ἐν τοῖς μέλλουσι* vim tantum habeant secundariam, propria loci natura atque indoles ex illis non cognoscitur, etsi confitendum est haec quoque verba sua quadam vi ad accuratius conformandam sententiam non omnino carere. Utcunque est, hoc certissimum est haec verba multo minoris esse in hac re momenti quam reliqua. — Ac si quaeritur quorsum jam haec omnia pertineant, dicemus id agi ut demonstretur nullo jure Baiterum ex parte secundaria sententiae repetivisse praedicatum; huic enim principalis in qualibet sententia debetur locus aeque ac subjecto. Itaque si omisso verbo *γενήσεσθαι* scriptum fuerit quod Baiterus ipse vult *ἐν τοῖς μέλλουσιν ἐπίδοξον εἶναι*, equidem libere confiteor nescire me, resecta illa clausula quid sibi ea verba velint. — Sin vero redimus ad illos oratorum graecorum locos, quos protulit Baiterus eo consilio ut demonstraret minime desiderari infinitivum futuri *γενήσεσθαι*, quia ille infinitivus suppleri soleret ubicunque antecederet verbum *μέλλειν*, videbimus in omnibus his locis *μέλλειν* ita positum esse ut aut praedicati principalis partes agat, aut, ubi participio se applicet, secundarii praedicati fungatur vice, neque ex quoquam horum locorum posse extrudi verbum *μέλλειν* quin dissolvatur atque penitus evertatur sententia; id quod contra esse in nostro loco supra jam vidimus. Non injuria igitur nec sine ratione videor mihi reprobasse Baiteri illud remedium, ut, si omnino non haberemus quo confugeremus, emendationem vel Valckenarii vel Lobeckii praeferendam esse censerem. Verum habemus, non quidem quo confugiamus, non enim opus

est ullo refugio, sed habemus quod ante pedes positum est; non correctione est opus, non litura, non denique supplemento. Probus enim est, si quis alius, Infinitivus *γεγενῆσθαι,* modo recte intelligatur. Verum aliud sensit Lycurgus, quam omnes illi sensisse eum volunt; qui quanquam dixit *ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις* et *ἐν τοῖς μέλλουσι,* minime et praeterita et futura tempora in animo habuit. In hunc enim modum, si quid video, procedit sententia oratoris ut dicat „quod autem praetermissa fuit tantorum facinorum poena, factum est, judices, non socordia eorum qui leges posuerunt, sed quod prioribus temporibus tale quid perpetratum non esset, neque iis *quae instarent* temporibus esset suspicio tale quid commissum esse, weil in den frühern Zeiten dergleichen nicht verübt worden war, und auch in den Zeiten, die da kommen mussten (die nicht ausbleiben konnten) kein Argwohn Statt fand, dass so etwas geschehen sey“. Si enim suspicati essent *οἱ νομοθετοῦντες* tale quid commissum esse, illa suspicio causa fuisset novae alicujus legis condendae, et severioris quidem legis, cum qua simul necessario conjuncta fuisset apta ei et conveniens poena. — Sed video duas praecipue in hac mea interpretatione esse res quae defensionem efflagitent; quarum est prima quod *ἐπίδοξον εἶναι* interpretatus sim *erat suspicio,* altera est, quod *ἐν τοῖς μέλλουσιν* ita explicare ausus sum ut significet tempus *futurum in praeterito,* quum tamen notio principalis ejus vocis ante oculos nobis ponat illud quod futurum est. — Jam vocem *ἐπίδοξον,* si quis in ejus originem et primam significationem inquirat, patebit derivari ex *ἐπὶ τῇ δόξῃ,* ita quidem ut *ἐπὶ τῇ δόξῃ εἶναι* significet *in opinione esse, τὸ ἐπίδοξον* autem *id quod in opinione est,* vel *quod sentiunt* plerique homines. Sed ad accuratius constituendam ejus vocis significationem videamus etiam, quale sit illud quod conjungitur cum ea, quod scilicet *ἐπίδοξον εἶναι* dicatur. Multum enim interest utrum boni an mali quid ita se applicet; itaque si bonae significationis vox addita est, vox *ἐπίδοξος* trahit inde notionem *sperandi,* sin malae, *metuendi* vel *timendi.* Quum autem ambigi non possit utrum horum apud Lycurgum locum habeat, non injuria a me videtur esse addita

suspicionis notio; verba enim *τοιοῦτον μηδέν* rem pessimam indicant. — Deinde quod verba *μήτε ἐν τοῖς μέλλουσι* a me explicata sunt *neque in temporibus quae instarent,* ne hoc quidem sine ratione a me factum esse mox apparebit. Etenim ut *τὸ μέλλον* et *ὁ μέλλων χρόνος* simpliciter *futurum tempus* indicare certissimum est, si quis ita loquitur ut cogitet de rebus quae sibi aut iis hominibus ad quos loquitur imminere videantur, ita rem prorsus aliam esse cernimus ubi verbo *μέλλειν* utuntur ii qui vel referunt, vel judicium dant de rebus ipsorum tempore jam praeteritis. Rem autem prorsus aliam esse propterea dicimus quod, si vel poeta vel historicus vel denique orator de rebus praeteritis verbis utitur *ὁ μέλλων χρόνος,* posterioris temporis notioni etiam notio certi cujusdam prioris temporis admiscetur. Quo fit ut, vel si verba *ἐν τοῖς μέλλουσι* interpreteris *posterioribus temporibus,* ne ista quidem ab oratoris sententia prorsus abhorreant. Verum tamen haec interpretatio ambignitate quadam laborat neque ad loci sensum penitus perspiciendum satisfacit. Quam ob rem accuratius supra nobis interpretari visi sumus, *iis temporibus quae instarent.* Duplex enim latet in verbo *μέλλειν* sensus; continet enim notionem futuri temporis absoluti, et futuri temporis relativi. Atque duplex illa temporis notio inesse potest in verbis ipsis *ἐν τοῖς μέλλουσι,* indicant enim aut futurum tempus absolutum aut relativum; quorum tamen posterius propterea magis convenit Lycurgi loco, quod orator inprimis de rebus praeteritis loqui voluisse existimandus est, quum id ageret ut defenderet legislatores ne negligentiae opprobrium aliquod in eos conferretur a sui temporis hominibus, *ὅτι παρεῖτο ἡ ὑπὲρ τῶν τοιούτων τιμωρία.* Quae res majoris sane est momenti quam videbitur fortasse quibusdam. Nam si quis contendat hujus loci non esse disserere de discrimine futuri temporis absoluti et relativi, atque in medium dicat proferri a nobis rem nemini non cognitam, in magno sane is versabitur errore, quum ex hac ipsa hujus discriminis negligentia fluxerit praejudicata illa opinio quae cogeret interpretes aut expellere infinitivum *γεγενῆσθαι,* aut alium aliquem infinitivum vel desiderare vel supplere qui ex ipsorum opinione ma-

gis conveniret dativis *ἐν τοῖς μέλλουσι*, quam fatale illud *γεγενῆσθαι*. Cujus rei documento esse possunt omnes quotquot inspicere mihi contigit vel explicationes vel interpretationes inde a Melanthone et Tayloro usque ad Pinzgerum. Quorum primus quum interpretaretur „*quia nec antea simile exemplum acciderat, nec ad posteros existimabatur tale quidquam eventurum esse*“ quanam alia re nisi falsa ista opinione factum esse dicamus ut, etiamsi in texto graeco pateretur Melanthon infinitivum *γεγενῆσθαι*, idem ille tamen, nulla omnino praeteriti temporis ratione habita, interpretatione sua daret quod ipsi et reliquis post ipsum necessarium esse visum est, *futurum scilicet tempus pro praeterito.* — Neque dissimilis est interpretationi Melanthonis illa, quae exstat in editione Oratorum Atticorum, quam curavit Guilielmus Stephanus Dobson, Londini 1828, qui una cum texto Taylori hujus ipsius, quod sciam, interpretationem iterum promulgavit. Legitur enim ibi „*quod prioribus temporibus nihil ejusmodi acciderit et quia non putarint tale quidquam futuris temporibus eventurum esse*“. Tertius autem interpres Pinzgerus graeca hoc modo reddidit, „*weil in den frühern Zeiten nie etwas der Art vorgefallen war, noch für die Zukunft als möglich angenommen wurde*“. Hi igitur omnes Lycurgi verba *ἐν τοῖς μέλλουσι* ita intelligunt ut pro *ἐν τοῖς χρόνοις οἳ μέλλουσιν εἶναι*, dicta esse existiment, quae ipsa ego pro *ἐν τοῖς χρόνοις οἳ ἤμελλον εἶναι* esse dicta habeo persuasum. Sed de temporis notione horum verborum satis multa a nobis dicta sunt. Restat ut eam vim accuratius demonstremus quam ex oratoris ipsius judicio ac sententia his verbis recte nobis vindicare visi sumus interpretando *quae instarent, quae imminerent, quae ex ipsa illorum temporum conditione eventura essent.* Jam verbum *μέλλειν* non solum, id quod inter omnes constat, indicat *futurum esse aliquid*, nec solum, ut quibusdam videri possit ex iis exemplis quae a Baitero collecta attuli, periphrasi cuidam inservit futuri temporis ut indicetur *aliquid in eo esse ut fiat*, sed alias etiam amplectitur notiones. Id quod brevissime et optime explicavit Lobeckius ad Phryn. p. 746. 747. „*Verbum μέλλειν maximam habet cum*

verbis θέλω, διανοοῦμαι, ἔοικα, οφείλω, ἐλπίζω similitudinem, quorum alia communiter aoristis, alia futuris adjunguntur, nullum autem tam fixos terminos habet, ut non aliquando aut in significationem aut in constructionem alterius succedat“. Ex his igitur verbis, quae respondere verbo *μέλλειν* dicit Lobeckius, si quis elegerit *ὀφείλειν* ejusque significationem ponderaverit, is hoc mihi necessario concedet ut interpreter *iis temporibus quae eventura esse necesse erat.* Videbit enim in voce *ὁ μέλλων χρόνος* inesse non solum *futurum tempus*, sed etiam *tale futurum tempus quale accidere fatum est.* Cujus rei documento esse potest Hom. Od. 1. 232.

μέλλεν μέν ποτε οἶκος ὅδ᾽ ἀφνειὸς καὶ ἀμύμων
ἔμμεναι, ὄφρ᾽ ἔτι κεῖνος ἀνὴρ ἐπιδήμιος ἦεν.

Fatorum igitur voluntate futurum erat quod dicit Telemachus; neque aliud quidquam ipsum oratorem nostrum dicere voluisse manifestum est. Scilicet ad manus erat illis *ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις* opponere *ἐν τοῖς ὕστερον.* Quod quum non fecerit, non sine certo quodam consilio illud *ἐν τοῖς μέλλουσι* in medium protulisse putandus est. Nec profecto sine sensu quodam reconditiore haec dicta esse apparebit, ubi reputaveris verbis *διὰ τὸ μὴ γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις*, praeter sensum vulgarem, qui inest in ipsa sententia, probitatem quoque et innocentiam veterum temporum significari, eique opponi verbis *ἐν τοῖς μέλλουσι* contrarium quiddam unde pateat morum corruptela, quam fato quodam posteritas Atheniensium esset sortita.

Sed etiamsi haec mihi fuerint concessa, vereor tamen ne meo arbitratu potius ac temere egisse dicar, quod *ἐν τοῖς μέλλουσι* supra interpretatus sim *ἐν τοῖς χρόνοις οἳ ἤμελλλον εἶναι.* Quod hoc etiam magis est verendum, quum ne unus quidem omnium interpretum mecum faciat, sed omnes constantissime ita senserint ut *ἐν τοῖς μέλλουσι* jungant cum infinitivo illo, sive is est *γενήσεσθαι* sive *γενέσθαι* sive denique supplendo additur. Hac enim potissimum interpretatione illam mihi futuri absoluti significationem, quam inesse volunt in participio *μέλλων*, videntur demonstrare. Verum in hoc ipso

errasse eos fidenter audeo contendere. Non enim cum infinitivo *γενήσεσθαι* vel *γενέσθαι* jungenda sunt verba *ἐν τοῖς μέλλουσι*, sed cum his *μήτε ἐπίδοξον εἶναι*, neque partis secundariae sunt sed ad partem principalem sententiae pertinent, h. e. ad illud unde pendet infinitivus cum subjecto suo *τοιοῦτον μηδέν*. Atque hoc quidem perspicuum est ex ipso loco quem obtinent verba *ἐν τοῖς μέλλουσιν*. Quum enim praecedant verba *ἐπίδοξον εἶναι*, magis se applicant ad haec quam ad illum infinitivum post *ἐπίδοξον εἶναι* positum. Quae res minus observata a viris doctis et repudiati ab omnibus infinitivi *γεγενῆσθαι* et emendationum omnium causa videtur fuisse. Ut vero manifestissime demonstretur quid ego sentiam, eadem via, quam supra jam tentavi, cum disputarem cum viro doctissimo Baitero, procedendum mihi est. Age vero, omissis iis additamentis quae ad ejus ipsius, qui dixit, judicium pertinent, simplicissimam quaeramus loci Lycurgei formam, atque ita hoc faciamus ut codicum scriptura *γεγενῆσθαι* conservetur. Quo facto haec prodibit sententia: *παρεῖσθαι δὲ* (inest enim in infinitivo illo *παρεῖσθαι* praeteritum praesentis, et orator quum dicit *παρεῖσθαι δὲ συμβέβηκε* non tam *profitetur* aliquid quam *demonstrat* atque adeo *affirmat*, id quod patet ex verbis additis *οὐ διὰ ῥᾳθυμίαν ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ κτε.*) *ἡ ὑπὲρ τῶν τοιούτων τιμωρία οὐ ῥᾳθυμίᾳ τῶν τότε νομοθετούντων, ἀλλὰ διότι ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις τοιοῦτον οὐδὲν ἐγεγένητο* *), *οὔτε ἐν τοῖς μέλλουσιν ἐπίδοξον ἦν γεγενῆσθαι*. Qua ex mutatione perspicuum est in infinitivis illis *διὰ τὸ μὴ γεγενῆσθαι μήτε ἐπίδοξον εἶναι* contineri duo tempora, in illo quidem plusquamperfectum, in hoc imperfectum, atque haec sibi invicem respondere. Quum autem supra demonstraverim *ἐν τοῖς μέλλουσι* pertinere non ad alterum infinitivum *γεγενῆσθαι*, sed ad *ἐπίδοξον εἶναι*, hoc ipso id quoque mihi videor defendisse quod *ἐν τοῖς*

---

*) Quod supra *διὰ τὸ μὴ γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν* mutavi in *οὐ γεγένηται τοιοῦτον οὐδὲν* hoc propterea factum est, quod illic intererat sensum oratoris ita constituere ut sententia prodiret absoluta neque aliunde pendens neque conjuncta cum altera quadam. Sed aliter hic se res habet.

μέλλουσι interpretatus sum *ἐν τοῖς χρόνοις οἳ ἤμελλον εἶναι*. Accedit quod in praepositione *ἐν* cum dativo juncta inesse videtur quod minus apte se applicet infinitivo futuri. Est sane difficile de ejusmodi rebus certi aliquid confirmare, sed sententiae meae quoddam adminiculum inde mihi reperisse videor, quod in hac certe oratione *ἐν* cum dativo conjunctum ad indicandum prateritum tempus quindecies reperiatur, cum infinitivo futuri ne semel quidem. Nam quae exstant commate 130. ed. Bait. *ἐν τοῖς κινδύνοις ἐκλείψει τὴν πάτριδα* et 133. *ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις οὐδὲ βοηθείας ἀξιώσουσι*, futurum tempus absolutum proprie non continent, sed significant *quotiescunque affuerint pericula et calamitates*.

Sin vero omissa hac singularum partium consideratione universam sententiam intuemur et quaerimus in quem finem haec dicta sint a Lycurgo, hoc certe apparebit, voluisse oratorem defendere legislatores et vindicare a socordiae et negligentiae opprobrio. Hoc si fuerit concessum equidem non injuria mihi videor hoc quaerere, utra interpretatio plus conferat ad patefaciendum consilium illud oratoris, illane quam conjecturis obtruderint oratori interpretes vel *γενήσεσθαι* vel *γενέσθαι* legentes, an haec mea, quae, quantum ego video, consilio Lycurgi propterea magis videtur respondere quod et excusationem vere continet, et nititur codicum auctoritate. Utut est, hoc mihi videor exploratum habere illam negligentiae vituperationem non removeri, neque socordiae vindicationem in sententia jure inveniri posse ab eo qui existimet tantam offusam fuisse legislatorum animis caliginem ut arbitrarentur nunquam posterioribus temporibus futurum esse, quod prioribus factum non fuisset.

Restat ut referam de extremis ejusdem sententiae verbis *ὡς μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν*. Quae quum legantur in omnibus codicibus, tamen rejiciuntur et spuria habentur a Tayloro, A. G. Beckero, Heinrichio, Im. Bekkero, Baitero, Sauppio, Maetznero; retinentur autem a Pinzgero et Blumio. Ac Blumius quidem ex ipsa conjunctionis *ὡς* forma argumentum petivit ad comprobandam loci integritatem. „Non enim,

inquit, si purum et germanum hoc genus dicendi, idcirco tam usitatum est, ut ab interpolatoris manu non credas potius ὥστε profecturum fuisse". Cujus ego argumentationi assentiri non dubito, neque me aut Taylori sententia „*haec modo* (comm. 8. ed. Bait.) *totidem syllabis dicta esse; mirum esse non agnoscere scribae malam manum*", aut Baiteri „*alterutro loco haec verba delenda esse*" tantopere commovet ut deseram codices. Constituere enim in ejusmodi rebus quid ferendum sit, quid non ferendum, quid molestum, quid pulchrum, quid minus, praesertim cum tam vehementer fluat haec hujus orationis pars, perdifficile est. Neque ipsa aut res aut sententiae conformatio obstitisse videtur quominus loqueretur Lycurgus ut locutus est. Ita enim procedit oratio ut, quum in verbis *παρεῖσθαι δὲ τὴν ὑπὲρ τῶν τοιούτων κατηγορίαν συμβέβηκε* definisset orator id quod factum esset, in verbis autem *διὰ τὸ μὴ* usque ad alterum *γεγενῆσθαι* ejus ipsius rei indicasset causam, placuerit ei tertium quiddam addi verbis *ὡς* usque ad *ἀξίαν*. Videtur autem his ipsis effectus eorum quae praecedunt constitutus esse hoc modo: *non posse inveniri neque accusationem neque poenam dignam*. Ex ipsa sententia igitur nil promi posse videtur unde infringatur ejus integritas. Nam quod Sauppius pag. 93. et 94. ejus libri qui inscribitur *Lycurgi oratoris reliquiae*, contendit particulam *ὡς* hic poni non posse, ut quae aliud quiddam significet quam *ὥστε*, habet adversarium Sophoclem qui utramque vocem prorsus uno atque eodem sensu usurpavit in his Creontis regis verbis Antig. 289.

— *ἀλλὰ ταῦτα καὶ πάλαι πόλεως*
ἄνδρες μόλις φέροντες ἐῤῥόθουν ἐμοί,
κρυφῇ κάρα σείοντες· οὐδ᾽ ὑπὸ ζυγῷ
λόφον δικαίως εἶχον, ὡς στέργειν ἐμέ,

id est *ut credi possit me ea re contentum esse*, et versu ejusdem fabulae 1235. Quo loco nuntius, quum chorus ex eo quaesisset, quidnam hoc rei esse conjiceret, quod uxor regis Creontis Eurydice, postquam de misera filii sui

morte audivisset, ne verbo quidem edito statim e conspectu evasisset, ita respondet:

κἀυτὸς τεθάμβηκ᾽· ἐλπίσιν δὲ βόσκομαι,
ἄχη τέκνου κλύουσαν, ἐς πόλιν γόους
οὐκ ἀξιώσειν, ἀλλ᾽ ὑπὸ στέγης ἔσω
δμωαῖς προθήσειν πένθος οἰκεῖον στένειν.
γνώμης γὰρ οὐκ ἄπειρος, ὥςθ᾽ ἁμαρτάνειν.

Cujus loci extrema verba nil aliud nisi hoc significare possunt: *non enim expers mentis est ut quae commissura sit quod improbari possit.* Utroque igitur loco habemus sententiam negativam quae excipitur ad indicandum effectum loco priore a particula *ὡς*, posteriore ab *ὥστε*, utraque autem conjunctio unum et eundem sensum habet. Eadem apud Lycurgum sententiarum conformatio sese nobis offert, ita quidem ut conjunctionem *ὡς* praecedant sententiae negativae ex quibus pendet illa sententiae pars qua effectus continetur. Jam sive interpretaris nostro sermone, *dass es möglich wäre*, sive *um die Möglichkeit zu gestatten* cett., qua in re discrimen particularum *ὡς* et *ὥστε* positum esse censet Sauppius, neutrum eorum neque sententiae cursum neque ejus rationem atque indolem permutat. Ex quo apparebit nihil obstare quin Lycurgus quoque recte et secundum usum *ὡς ἐνδέχεσθαι* scripserit ad indicandum effectum aliquem. Et gravissimum sane hujus particulae *ὡς* significationis auctorem habeo G. Hermannum, qui quum ad priorem illorum Antigonae locorum suum de hac re judicium aperuisset, postea (Zeitschrift für Alterthumswiss. 1834. p. 598.) manifestius etiam sententiam suam explicavit in hunc modum contra Sauppium disputans: *Was bei dieser Gelegenheit Herr Sauppe sagt, um die Behauptung des Recensenten zu Soph. Ant.* 292. *zu beseitigen, dass ὡς für ὥστε bisweilen auch von älteren Schriftstellern gebraucht worden, scheint nicht genügend, und schwerlich möchte sowohl die genannte Stelle in der Antigone als auch v.* 303. *und Aeschylus in den Persern v.* 511. *die aufgestellten Erklärungen zulassen*". Itaque quod Hermannus nihilo secius cum ipso Baitero

et Sauppio illa verbo ὡς μήτε usque ad ἀξίαν rejecit, hoc vir summus aliis de causis quas latius nollet enarrare fecisse existimandus erit. Grammaticae certe aliqua lex non videtur obstitisse quo minus illa verba ab eo improbarentur. Quod vero Censor Lipsiensis loco supra laudato profitetur *„wir möchten die durch Klammern bezeichneten Worte tilgen. Denn hier stehen sie, wenn man sie recht streng auffasst, mit dem unmittelbar Vorhergehenden im offenbaren Widerspruche"* nimis ea severe mihi videntur dicta. Quamquam enim hoc concedendum est, Lycurgi sententiam expeditius et praecedentibus magis convenienter decursuram fuisse si dixisset orator: μήτε ἐν τοῖς μέλλουσιν ἐπίδοξον εἶναι γεγενῆσθαι, ὡς τιμωρίαν ἐνδέχεσθαι ὁρίσαι ἀξίαν, hoc sensu: *ut credi posset datam esse facultatem legis alicujus aptae constituendae,* tamen in iis quae exstant in oratione ipsa reperire non possum quod antecedentibus omnino non respondeat, nedum quod contrarium dici possit eorum quae praecedant. Sic enim res habere se videtur ut oratori, cujus animi exacerbatio in summa orationis vehementia semper fere et ubique manifestatur, hominis scelestissimi imago ante oculos versari videatur, ita ut mirum esse non possit, si, quum dicendum ei fuisset quid acciderit legislatoribus, facili quadam cogitationum mutatione rapiatur ad profitendum hoc quod sibi ipsi acciderit, illud scilicet, ipsum non posse reperire neque accusationem neque poenam dignam. Itaque hoc quod, si minus accurate perlustraveris, in vitium incurrere videtur, vel pulchritudinis quendam colorem prae se ferre dici potest.

Schul-Nachrichten.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

Erste Klasse.

32 Stunden. Ordinarius der Rector.

Griechisch 6 St. Davon: 2 St. Anfangs Plutarchs Camillus von cap. 23 bis zu Ende; dann Platon Apol. Socr. bis cap. 20. 1 St. Herodot lib. IX cap. 1—55. Prorector Weichert. 2 St. Homers Ilias XXI u. XXII. Soph. Oed. Col. 1 St Grammatik. Prof. Dr. Kampmann.

Lateinisch 9 St. Davon: 2 St. Horat. Odd. lib. IV; lib. Epodon et Epistolarr. lib. I. Pror. Weichert. 5 St. Cic. in Verrem II: 4, 5; De provinciis cons., in Pisonem, pro Marcello, pro Ligario, pro rege Dejotaro. Tacit. Ann. I: 57—III: 10; 1 St. Correctur der Exercitien und freien Aufsätze; 1 St. Zumpts Aufgaben Nr. 114—123. 1—36. Prof. Dr. Kampmann.

Deutsch 2 St. Geschichte der deutschen Literatur vom Ende des sechszehnten Jahrhunderts bis zur Mitte des achtzehnten. Correctur und Beurtheilung deutscher Aufsätze. Pror. Weichert.

Französisch 2 St. Menzels Handbuch S. 1—252. Wöchentlich ein kurzes Specimen. Sprachlehrer v. Grossmann.

Religion 2 St. Davon: 1 St. Glaubenslehre. Die sämmtlichen unterscheidenden Lehren des Christenthums und die sie begründenden Sprüche. 1 St. Geschichte der Kirche und chronologische Uebersicht ihrer Hauptmomente. Der Rector.

Propädeutik der Philosophie 2 St. Die Elemente der Logik und Psychologie nach eigenen Heften. Derselbe.

Mathematik 4 St. Repetition des arithmetischen Cursus von II und der ebenen Trigonometrie. Die cubischen Gleichungen, die Stereometrie und die Combinationslehre nebst Beweis des Binomialsatzes auch für negative und gebrochene Exponenten. Eine Stunde wöchentlich wurde zu mathematischen Extemporalien und für die häuslichen Arbeiten benutzt. Oberlehrer Kambly.

Physik 2 St. Beschluss der Optik. Die Lehre von der Wärme, vom Magnetismus und von der Electricität, vom Galvanismus etc. Kurze Wiederholung der Phorometrie, der Akustik und der Optik. Derselbe.

Geschichte 3 St. Geschichte des Mittelalters. Pror. Weichert.

Hebräisch. 2 St. I Samuel c. 1—14 und 15 ausgewählte Psalmen, die zum Theil auswendig gelernt wurden; ausserdem schriftliche Uebungen. Oberlehrer Rath.

Ein Theil der Vertretungsstunden für den Rector wurde zu einem naturwissenschaftlichen Unterricht benutzt, welchen der Dr. Körber ertheilte und in dem er eine allgemeine Uebersicht der Naturgeschichte, die Geologie aber vollständig vortrug.

Zweite Klasse.

32 Stunden. Ordinarius der Oberlehrer Keil.

Griechisch 6 St. Davon: 3 St. Xen. Cyrop. I. II: 1, 2. 2 St. Hom. Odyssee IX, X, XI. 1 St. Grammatik und Exercitien aus dem Uebungsbuche von Rost und Wüstemann Cursus II und III. Ordinarius Keil.

Lateinisch 10 St. Davon: 2 St. Virg. Aen. lib. VIII und IX. Prof. Dr. Kampmann. 3 St. Cic. orat. pro Murena und pro rege Dejotaro. 2 St. Livius lib. XXIV. 2 St. Lateinischer Stil mit Benutzung der Aufgaben von Süpfle. Von Ruthardt's loc. mem. wurden Nr. 207—290 memorirt. 1 St. Prosodie. Die prosodischen Regeln wurden aus Zumpts Lateinischer Grammatik gelernt und durch Componiren lateinischer Verse geübt; auch wurde eine Anzahl Fabeln des Phädrus, so wie ein Theil der Horazischen Oden nach vorhergegangener sprachlicher und metrischer Erklärung memorirt. Privatim wurden von den Schülern Cicero's Paradoxa und Laelius gelesen und die darüber von ihnen geschriebenen Bemerkungen corrigirt. Ordinarius Keil.

Französisch 4 St. Davon: 3 St. Lecture. Gedicke's Chrestomathie. 1 St. practische Uebungen. Prorector Weichert.

Deutsch 2 St. Uebungen im freien Vortrage; Erklärung prosaischer und poetischer Musterstücke beim Vortrage derselben durch die Schüler; Besprechung der Correctur der gelieferten Aufsätze. Oberlehrer Guttmann.

Religion 2 St. Die unterscheidenden Lehren des Christenthums und des Lutherischen Lehrbegriffs und die sie beweisenden biblischen Sprüche. Der Rector.

Mathematik 4 St. Wiederholung der Lehre von der Aehnlichkeit der Dreiecke. Vervollständigung des geometrischen Cursus von III. Berechnung des Kreises. — Die Rechnung mit reellen und imaginären Wurzelgrössen. Die Gleichungen des I. und II. Grades, die Logarithmen, die arithmetischen und geometrischen Reihen und die Zinsenzins-Rechnung. Die ebene Trigonometrie. Oberlehrer Kambly.

Physik 1 St. Beschluss der Optik. Die Lehre von der Wärme und vom Magnetismus, und ein Theil der Electricitätslehre. Derselbe.

Geschichte 3 St. Geschichte des Mittelalters und Uebersicht der Hauptbegebenheiten aus der Geschichte Deutschlands bis 1806. Dabei Wiederholung der allgemeinen Chronologie. Oberlehrer Guttmann.

Hebräisch 2 St. Die Formenlehre nach Gesenius Grammatik, verbunden mit dem practischen Cursus über die Formenlehre von Maurer, und im letzten Halbjahre ausgewählte Stücke aus Gesenius Lesebuche. Oberlehrer Rath.

Dritte Klasse.

32 Stunden. Ordinarius der Oberlehrer Rath.

Griechisch 6 St. Davon: 2 St. Grammatik und schriftliche Uebungen nach Rost's Grammatik und Lesebuch Curs. 1. 2 St. Xenoph. Anabasis lib. I c. 7 bis lib. II c. 5. Ordinarius Rath. 2 St. Odyssee lib. III und IV: 1—77. Oberlehrer Keil.

Lateinisch 9 St. Davon: 4 St. Caesar de bello Gallico lib. II cap. 16 bis lib. IV cap. 16. Vom 6. Februar bis letzten März lib. IV: cap. 17—24 Dr. Kämmerer, Mitglied des Königl. Pädagogischen Seminars. Im letzten Halbjahre wurden in 2 St. statt Cäsar ausgewählte Stücke aus Friedemann's lateinischer Chrestomathie gelesen und zugleich memorirt. 3 St. Grammatik. Die Syntax des Verbums, verbunden mit schriftlichen Uebungen. Memoriren der Sätze aus loci mem. 200—250 und Einübung derselben durch öftere Probearbeiten. Ordinarius Rath. 2 St. Ovid's Met. VI: 146—312; VIII: 183—259. 611—724. X: 560—685. Dabei prosodische Regeln nach Zumpt's Grammatik. Professor Dr. Kampmann.

Französisch 2 St. Nach Orelli's Hirzel Lese- und Stilübungen. Erster College Geisheim.

Deutsch 2 St. Deutsche Grammatik, Stil und Declamirübungen. Derselbe.

Religion 2 St. Die Hauptlehren des christlichen Glaubens nach dem Lutherischen Katechismus, verbunden mit Bibelsprüchen. Ordinarius Rath.

Mathematik 4 St. Davon: 2 St. Geometrie. Wiederholung eines Theils des Cursus von IV. Die Abschnitte des Reicheschen Leitfadens 1. Th. V—X. 2. Th. I—III. 2 St. Arithmetik. Wiederholung des Cursus von IV, namentlich der bürgerlichen Rechnungen; Ausziehung der Kubikwurzeln aus bestimmten Zahlen; Die Buchstabenrechnung. Oberlehrer Kambly.

Naturgeschichte 2 St. Im Sommer: Allgemeine Botanik, abschliessend mit dem natürlichen Systeme; Botanische Excursionen. Im Winter: Einleitung in die Zoologie; die Geschichte der Wirbelthiere wurde vollständig vorgetragen. Dr. Körber, siebenter College.

Geschichte 2 St. Das Mittelalter. Oberlehrer Rath.
Geographie 1 St. Deutschland und allgemeine Uebersicht der Erde. Derselbe.
Kalligraphie 2 St. Schreibmeister Haucke, Rector der Elementarschule zu St. Vincenz.

Vierte Klasse.

32 Stunden. Ordinarius der Oberlehrer Stenzel.

Griechisch 4 St. Einübung der Formenlehre mit Inbegriff der Verba auf μι und der wichtigsten Partikeln aus Rost's Anleitung zum Uebersetzen ins Griechische Cursus 1 und Xenophons Anabasis Buch 1 mit Auswahl. Ausserdem 95 häusliche Arbeiten und wöchentliche Extemporalien, diese vom Lehrer zu Hause corrigirt. Ordinarius Stenzel.
Lateinisch 8 St. Aus Nepos 13 Feldherrn, vom Anfange des Dion bis zu Ende des Hamilcar. Memorir-Uebungen sowohl aus Nepos als aus den empfohlnen locis mem. von 100 bis 200. Syntaxis nach Zumpt bis zur Ornata, eingeübt durch Beispiele aus Hottenrott und Aufgaben des Lehrers. Häusliche Arbeiten 145, Extemporalia wöchentlich, wie im Griechischen. Derselbe.
Französisch 2 St. Nach Orelli's Hirzel; wöchentlich ein Specimen. Geisheim, erster College.
Deutsch 4 St. Davon: 1 St. Grammatische Erklärung prosaischer Stücke mit besonderer Berücksichtigung der Interpunktation. 1 St. Sprachliche und ästhetische Erklärung einer Romanze, einer poetischen Erzählung und Legende, eines poetischen Schwanks und eines kleinern Epos (des 70ten Geburtstags von Voss). 1 St. Declamirübungen. 1 St. Ausführliche Besprechung der durchgesehenen und corrigirten Aufsätze, wozu die Themata grösstentheils aus den in der Schule gelesenen Stücken entlehnt wurden und von den Schülern selbst daraus abgeleitet werden mussten. Auch wurden bisweilen während der Stunde freie Aufsätze von den Schülern angefertigt. Als Leitfaden diente bei allen Zweigen des deutschen Unterrichts Lehmann's deutsches Lesebuch 2ter Cursus. Dr. Kämmerer, Mitglied des Königl. pädagogischen Seminariums.
